

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De victore Idumaeorum Es. 63, 1 - 6**

**Abicht, Johann Georg  
Pfaffreuter, Christoph Heinrich**

**Leipzig, 1712**

**VD18 14793431-ddd**

§. XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130619](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130619)

Ni fallimur de eadem, impiorum pernicie loquitur Johannes Apoc. XIV, 19. 20.

## §. XXV.

Nunc videamus, quomodo Judæi nostrum vaticinium de Edomi strage in Christianos detorqueant. Audiamus Kimchium ad h. l. differentem: *Hæc prophetia agit de futura Idumæorum devastatione, quemadmodum explicuimus in c. XXXIV. Jes. Assimilavit Deus Benedictus devastatorem forti vindici hostium suorum, cujus vestes rubrae sunt ex sanguine occisorum, ut homines querant, quis est ille? quibus ille respondet, ego sum, qui loquor juste, h. e. quod promisi Israelitis, illud feci, quia sufficiens sum ad salvandum h. e. quia sufficiens est mihi potentia ad salvandum Israel, nam ex devastatis Idumæis nascitur salus Israelitarum, sicut l. c. explicuimus. Maculatus & rubicundus intelligitur ex contextu. Bozra fuit magna Idumæa urbs, quippe etiam Roma sub hoc nomine venit. Si verba hebræa, prout in Bibliis Veneticis Anno 1517. vel 278. impressa sunt, cum iis conferamus, quæ in Buxtorfianis leguntur, multa in his a Judæis prætermissa reperimus. Quando in Buxtorfianis legitur: כְּבוֹאָה זֹאת עַל הָעִיר כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר בְּפֶתַח הַיַּם וְעַל הָעִיר כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר נְבוֹאָה זֹאת עַל חֶרְבֵן אֲרוֹם הָעִיר* prophetia hæc respicit futura, uti interpretati sumus, in illis Veneticis legitur: *נְבוֹאָה זֹאת עַל חֶרְבֵן אֲרוֹם הָעִיר* prophetia hæc de destructione Idumæa futura agit. Deinde post verba in Buxtorf. expressa *כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר בְּפֶתַח הַיַּם וְעַל הָעִיר כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר נְבוֹאָה זֹאת עַל חֶרְבֵן אֲרוֹם הָעִיר* h. e. magnum robur ad salvandum Israel, adduntur in Veneticis: *כִּי בְחֶרְבֵן אֲרוֹם תִּהְיֶה שְׂעוֹת יִשְׂרָאֵל* quia per devastationem Idumæorum restituitur salus Israelitarum. Denique post illa Buxtorfiana: *כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר בְּפֶתַח הַיַּם וְעַל הָעִיר כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר נְבוֹאָה זֹאת עַל חֶרְבֵן אֲרוֹם הָעִיר* adduntur, *לְפִיכֵן כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר בְּפֶתַח הַיַּם וְעַל הָעִיר כְּמוֹ שֶׁנֶּאֱמַר נְבוֹאָה זֹאת עַל חֶרְבֵן אֲרוֹם הָעִיר* propterea appellatur Roma nomine Bozra. Quæ Pocokius Not. Miscell. tantum in MSS. & editione Pisarenfi non vero in Bomberg. anni 307. agnovit. Unde colligere est, posteriores Bombergianas & maxime Buxtorfianas editiones censorum obelis magis esse mutilatas quam pri-

ma Bonbergiana, quæ Anno 1517. vel 278. cum Præfat. Felicis Præterensis prodiit. Addamus Abarbanellem acerrimum Christianorum hostem, qui nostro vaticinio hæc verba adjecit: *Quia Propheta prædixit futuram Judæorum redemptionem ex captivitate, quemadmodum supra dictum, ideo nunc pergit, & indicat, quod antequam ea omnia, quæ dixit, eveniant, Idumæa devastanda sit necessario, hæc vero uti supra monui, est regnum Christianorum, fidem Jeschutenentium, & ad hæc spectat Propheta parabola dicentis, quis est ille &c.* Quam paucis proposuit Abarbanel, sententiam pluribus persequitur Comment. ad Esa. XXXIV. ubi totus in eo est, ut Romanos omnesque Christianos in Idumæos transformet, duabus rationibus prolixè deductis commotus. Prima est Zephonem Idumæum, cujus Joseph. Gorion. L. I. cap. II. p. 10. Edit. Breith. meminit in Regem Romanorum elatum esse, quo factò quam plurimi Idumæorum ad Romanos transferunt. Secunda est Christianos fidem Idumæorum nempe fallacem amplexos esse. Sed non opus esse exstimamus, ut hæc prolixius discutiamus, si enim vaticinia de Idumæis ante Christum natum impleta sunt secundum sensum literalem, cur novos quærimus Idumæos. Si vero sensum mysticum spectes omnibus Ecclesiæ veræ hostibus vaticinia ista omni jure applicabis sive Judæi sive Ismaelitæ sive alii sint, quia certum est, Deum Ecclesiam suam defensurum omnesq; ejus hostes uti Idumæos persequuturum atque destruciturum.

T A N T U M.